

*Veni ad Patrem.* Si Piorum Animæ a Corpore separatæ abirent ad enormem Somnum, Locumque ignotum, quem nobis Burnetus obtrudere vellet, jam non abirent ad *Patrem*; sed illuc, ubi nam magis est Pater, quam heic, ubi nunc vivimus: atque Ignatius tantumdem abfuisset a Patre, quantum vivens in Mundo erat. Immo in deterius fors illius cessisset: nam præterquamquod non secus, atque erat in Mundo, remotus fuisset a beatifica præsentia Dei; ne potuisset quidem patrimonium & meritum augere bonorum operum, Deumque sibi copiosius demereri. Id in hac vita licet, post mortem non licet. Propterea Apostolus ad Philippens. 1. 22. quanquam summo opere exciperet *dissolvi & esse cum Christo*, eligebat tamen adhuc *vivere in carne*, ut majorem fructum operis, disseminando Evangelium, perciperet. Itaque velis nobis, quam S. Ignatium tanto ardore Martyrii correptum vides, ac sperantem, se confessum abiturum ad *Patrem*: nil aliud excogitare potes, quam Beatitatem, hoc est præsentiam realem, ac Visionem Dei, mox ipsi conferendam in Coelis.

Habemus etiam Acta sincera & antiquissima Martyrii ipsius S. Ignatii, ab Uferio Archiepiscopo Armacharo edita, e quibus hæc eadem doctrina majorem lucem mutuari potest. Describitur illius navigatio, quam ad gloriosam certamen positus in vinculis deducebatur. Smyrne S. Polycarpum adit, eumque *deprecarur concertare ipsius proposito, ut velocius per bestias disparens Mundo factus, appareat Faciei Christi.* Et hoc sic dixit, sic testificatus est: tamen extendens eam, que circa Christum, Caritatem; ut *COELUM* quidem apprehendere per bonam confessionem posset. En quid optabat, & quid se certo assequuturus sperabat S. Martyr. Porro addunt Actorum Scriptores, qui horum ipsimet conspectores fuerant, se vidisse in visione beatum Athletam, quemadmodum ex labore multo venientem, et adstantem Demiro in multa confidentia, et ineffabili Gloria. Hinc intelligis, an primitivæ Ecclesiæ Christiani in Burneti somnia consentiant. Et quoniam S. Episcopi Smyrensis Polycarpi facta est mentio, qui & ipse exemplum Sancti Ignatii æqualis sui æmulatus, multis post annis celebre Martyrium valde sedes consecit, istum quoque consulamus. Burnetus ex ejus Epist. ad Philippens. cap. ix. duo tantum verba pro sua opinione selegit, inquitens, Animarum sedes post Corporis mortem appellari ab eo *Locum sibi debitum*. Quid hæc verba significant, nuper vidimus. Attamen integrum locum proferre præstat, ubi de Paulo, ceterisque Apostolis scribit. *Persuasi, quod hi omnes in vacuum non cucurrerunt, sed in fide ac justitia; et quod in Debito Sibi Loco Sint. Apud Dominum, cum quo et passi sunt.* Omisit Burnetus, quæ præ reliquis amatori veritatis proferenda erant. Locum, ubi sunt post mortem Animæ Justorum, ille ignorat. Verum ubi sit, diserte nobis indicat S. Polycarpus: nempe *Apud Dominum*, *παρα τῆς Κοιτης*, hoc est in præsentia, in conspectu Domini. Sanctus ipse Martyr idem testatus est, Deo ante mortem benedicens, quod me, agebat, in hunc diem & ad horam hanc